





Pri. 22. num. 57.

23

DE
PROLONGATIONE CAMBII
EIVSQUE EFFECTIBVS

1777 6.

RECTORE EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DVCE
AC DOMINO

P. 227.

DOMINO

76

CAROLO

DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCLÆ REGNANTE
REL. REL.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
PRÆSIDE

SIXTO IACOBO KAPFF

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO, S. CÆS. PALAT. COMITE

DIE MAII ANNI MDCCLXXVII.

PRO GRADV I. V. DOCTORIS

DISPV TABIT
AVCTOR


AVGVSTVS FRIDERICVS BANGER

STVTTGARDIANVS

CANCELLARIÆ DVCALIS ET SVPREMI DICASTERII ADVOCATVS.

TVBINGÆ STANNO FVESIANO.





I.
II.
III.
IV.

V.

I





CONSPECTVS.

- I. Instituti ratio. §. I.
 - II. Prolongationis cambialis idea, §. II.
 - III. Ejusdemque primarius finis traditur. §. III. & IV.
 - IV. De forma, qua fieri debeat? §. V. & VI.
 - *) speciatim; an feminæ opifices & rustici prolongare queant? disquiri- tur. §. VII.
 - V. Prolongationis Effectus.
 - A.) Generatim,
 - B.) Speciatim,
- A) An novationem producat, quæritur? §. VIII.
 - 1. Quod regulariter ne- gatur. §. IX.
 - 2. De casibus exceptis regula traditur, §. X. quæ ad species in foro obvenientes appli- catur. §. XI.
 - B) Quis sint prolongationis in concursu creditorum, §. XII.
 - c) Quis intuitu heredum effectus? §. XIII.

§. I.

Instituti ratio.

Ita comparata est Jurisprudentia cambialis germanica, ut, licet jus cambiale commune vel subsidiarium, quod
A 2 totum





totum juris cambialis ambitum contineat, non detur; 1) particulares tamen singulorum territoriorum ordinationes in multis hujus doctrinæ capitibus, quæ ex utriusque juris communis regulis decidenda fuissent, ab his miro contentu recedant.

Habent ex mente tantum non omnium ordinationum cambialium, *propria*, seu *ficca*, ut vocant, communia (*cogene*, *deposito-Wechsel*) et *trassata* cambia id commune, quod brevi admodum, licet non eodem, sed pro diversitate cambiorum priorum et trassatorum diverso spatio, 2) a tempore quo dies ipsorum venerat computando, vel plane omnem, 3) vel, si *propria* spectes, plerumque eam tantum, quam cambialis rigor producit, vim et potestatem amittant, et nonnisi chirographarii debiti ordinaria jura, intra tempus, legibus vel provincialibus vel communibus definitum, retineant.

Quod ne fiat, sed ut omnes effectus cambii vere talis, in rigore cambiali, hypothecæ, aut privilegii personalis commodo, aliisque juribus, hinc inde conspicuis conferrent, solemne est creditoribus, ulteriorem fidem habere volentibus, remedium *prolongationis*, ut vocant, litterarum cambialium, quo sibi consulere student, et ante lapsum fatalis, in lege cambiali præfiniti, id agunt, ut vel illis ipsis litteris, quarum præscriptio imminet, prorogationem termini, de quo noviter convenerunt, a debitore subnotari,

tari, aut novas plane in alium diem conceptas litteras sibi dari curent. Destinavi huic argumento hanc qualem-cunque commentationem academicam, 4) in qua, an rite versatus sim, penes æquos æstimatores iudicium esto.

- 1) Quæ enim leges Imperii de cambiis tradunt, ad pauca admodum capita, v. gr. denegati appellationibus in his causis interpositis effectus suspensivi, et non admittendæ contra cambium acceptatum exceptionis non numeratæ pecuniæ, redeunt. *Conf. Rec. Imp. noviss. §. 107. Conclusum Imperii pro commerciis de ao. 1671. in CORPORE RECESS. IMPER. Parte IV. p. 76. vid. Perillufr. GODOFREDVS DANIEL HOFFMANN, Præsidis et Respondentis præceptor venerandus, in Diss. Consilia de novo Recessu imperii consiciendo, §. 23--26. ANDREAS ELIAS ROSSMANN (vel potius Respond. LEBKÜCHNER) de valore cambii in Imperio. Erl. 1765. JO. ANDR. HOFFMANN, V.C. de Differ. juris cambialis inter leges Imperii, easque ordinum imperii, quæ rigorem cambialem continent. nr. 5. 7--9. Marb. 1767.*
- 2) Nolo ea, quæ singulares ordinationes cambiales, de præscriptione cambii definiunt enarrare. Adeat, qui specialia hæc desiderat, KÜSTNERVM, in *Diss. de menstrua, et annali præscriptione litterarum cambialium*. Lips. 1715. JO. CHRIST. FRANKIVM in *Institut. juris cambialis*. Lib. II. Sect. IV. Tit. III. JO. GOTTL. SIGELIVM in *der Einleitung zum Wechsel-Recht I. Th. Cap. 4. II. Th. Cap. 6. §. 4. Eundem, in dem sursich-tigen Wechselgläubiger Cap. 4. §. 15.* et annotationes, quibus utrumque hunc libellum auxit, *Celeberr. AVG. FRID. SCHOTT* Lips. 1773. & 1776. W. G. VANGEROVIVM, in *dem Entwurf des Wechsel-Rechts nach den Grundsätzen der Preussischen Staaten §. 103. Halle 1773.*
- 3) *Ord. Camb. Lips. §. 32. KÜSTNER. l. c. §. 11--13.*
- 4) De litteris cambialibus, earumque prolongatione extat quid-



dem HERM. BEKERI peculiaris dissertatio, Rostochii 1758. edita, sed, si huic libello locos communes, de cambialium litterarum origine, et requisitis demas, numerum profecto non faciunt, quæ de ipso prolongationis argumento restant.

§. II.

Prolongationis idea.

Est vero *prolongatio cambii*, conventio inter creditorem et debitorem cambialem, currente adhuc et nondum completa præscriptione cambiali, inita, qua terminus solutionis, in litteris cambialibus hæctenus definitus, conservandi rigoris cambialis gratia, extenditur.

Prolongatio quum sit *conventio*, facile intelliges, I. *eam solius creditoris subnotatione non absolvi, sed idem a debitore ipso, quippe cujus præjudicium maxime subversatur, ut fiat, necesse esse.* Solius tamen debitoris, factæ prolongationis confessio, litteris cambialibus inserta, sufficit. Quis enim de voluntate creditoris, qui hæc ita fieri passus est, et litteras absque contradictione retinuit, unquam dubitabit? 1) Quoniam vero conventio personas habiles supponit, obscurum esse non potest, prolongationem inter omnes quidem cambii vel proprii vel trassati obligatione sibi invicem devinctos, 2) adeoque etiam inter indossatarium et indossatum debitorem, 3) fieri posse, modo tempore prolongationis faciendæ cambialiter se obligare nec impediantur, nec prohibeantur; qua propter pro regula tenendum est:

II. *Qui*

II. Qui cambium contrahere vel impeditur vel prohibetur, obligationem, qua alteri tenetur, cum effectu cambiali prolongare nequit. Cum effectu inquam cambiali. Nam si cambii vim et confectaria detrahas actui, nil obstabit, quo minus ceteris paribus prorogationi effectus tribuas ordinarios. Liceat rem exemplo e legibus patriis desumpto illustrare, quod facile ad similes species ubique locorum adplicare poteris. Pone, v. gr. personam omni respectu habilem primam obligationem cambiale contraxisse; fac debitorem ante finitum præscriptionis cambialis tempus militiam sequi, et quidem ea in dignitate, qua secundum Edictum Ducale dd. 28 Mart. 1761. 4) nonnisi consentiente eo, qui cohorti præest, cambium dare potest. Poteritne iste absque superioris adprobatione cambium datum prolongare? Equidem vix credo. Non, quod hac status mutatione cambiale obligationem, antea rite contractam, sublatam statuam, sed quia in ea jam conditione versatur debitor, in qua rigorem cambiale folus in se derivare nequit.

- 1) SIGEL. l. c. P. I. C. 4. §. r. in not. pag. 76. KÜSTNER. l. c. §. 46.
- 2) Idem de cambiformibus obligationibus, (wechselfähigen Verschreibungen) quarum Ord. Camb. Wirtemb. mentionem facit, si reliqua paria sunt, dicendum.
- 3) Scilicet ut inter ipsos conventio subsistat: quodsi vero non consentiente trassante præsentans, vel non consentiente indossante, indossatarius prorogationem termini trassato vel indossato concedit, salvo negotio regressum contra trassantem
vel





vel indoffantem amittit. Vid. supra laudat. SCHOTT in *notis ad Comp. Sigelianum* pag. 76. *Ord. Camb. Wirt.* Cap. 4. §. 26. Trassans quoque acceptanti absque præsentantis consensu nullam concedere potest prolongationem. Jus enim ex literis cambialibus competens remittenti aut campfario est quæsitum, et unilaterali trassantis prolongatione differri nequit. BEKER. I. c. §. 21.

- 4) Verba Edicti, quod, quum in nulla adhuc collectione extet, in extenso dabo, hæc sunt: Wir haben zwar in Unserer vor wenigen Jahren zum Behuf des allgemeinen Credits und Beförderung des öffentlichen Handels und Wandels gnädigst emanirten Wechsel-Ordnung Cap. II. §. 2. mildest versehen, daß alle Ober-Officiers überhaupt ohne Unterschied ihres Ranges, Standes oder übrigen Umstände, des Wechsel-Rechts nach allen seinen Theilen und unterschiedenen Verhältnissen fähig, mithin auch der Schärfe desselben unterworfen seyn sollen.

Nachdem aber die Erfahrung bisher gezeigt, daß dadurch Unsere gnädigste, zum allgemeinen Besten abzweckende Willens-Messung nicht vollkommen erhalten, sondern vielmehr durch die allzu-große Facilitirung des Wechsel-Negoce, der unvorsichtige Theil habters in grossen Schaden und Ungemach gestürzt worden: Als haben Wir vor nöthig gefunden, durch gegenwärtige novellam constitutionem ermelbten Passum Unserer Herzogl. Wechsel-Ordnung vor das künftige dahin gnädigst zu interpretiren und zu restringiren, daß zwar überhaupt alle unter Unserm Herzogl. Troupen befindliche Ober-Officiers noch ferner, wie bisher, Rechts-kraftige Wechsel auszustellen befugt, mithin auch der Schärfe des Wechsel-Rechts ohne die mindeste Nachsicht unterworfen bleiben sollen, jedoch mit der expresse Bedingung, daß soviel die Subaltern-Officiers betrifft, nemlich von Fähnrich oder Cornette bis auf den Hauptmann oder Rittmeister exclusive, der jeweilige Regiments- oder Bataillons-Commandant, die von denselben auszustellende Wechselbriefe mit seiner Namens-Unterschrift bestätigen solle, widrigenfalls Wir alle dergleichen ohne derselben Subscription contrahire

9

hirte Wechsel hiemit nicht nur als vollkommen null und nichtig zum voraus erklären, sondern Uns auch noch besonders vorbehalten, wider den Trassanten als einen muthwilligen Uebertreter Unserer Herzoglichen Verordnungen, nach Befinden der Umstände, mit ungnädiger Abhandlung und Strafe vorzugehen.

Gleichwie aber gegenwärtige Restriction allein von denen, in Unsern Herzoglichen Diensten stehende Officiers, keineswegs aber von Fremden zu verstehen, die sich blos in Unsern Landen aufhalten, folglich ohne Rücksicht auf ihre ohnehin abwesende Regiments-Commandanten in Wechsel-Sachen andern Wechselfähigen Contrahenten æquipariert bleiben; Also wollen Wir auch fernerweit gnädigst verordnet haben, daß erstberührte Subscription des Bataillon- oder Regiments-Commandanten allein bey denen Wechsel-Negocien derjenigen Subaltern-Officiers von Fähnrichen bis auf exclusive den Hauptmann sub poena nullitatis nothwendig seyn solle, welche wirklich unter Unsern Herzoglichen Troupen in Activität stehen, und Militair-Dienste thun; dergestalt, daß folglich nicht nur alle Pensionnaires, und alle zur Ruhe gesetzte Personen von diesem Rang, sondern auch vorzüglich alle Auditors, Staats- und Regiments-Quartiermeister, Proviant-Officiers, und die sonst dergleichen Charactere haben, von sothaner limitation ausgeschlossen, dagegen aber vor sich allein kräftige Wechsel-Contracte abzuschließen befugt, mithin auch nach wie vor der Schärfe des Wechsel-Rechts unterworfen bleiben u. c.

§. III.

Ejusdem primarius finis.

Conservatio rigoris cambialis, et omnium inde pendendum commodorum, est primarius prolongationis finis. Patere exinde arbitror, III.) quod ea currente adhuc, et nondum completa præscriptione fieri debeat. Hoc ut adpareat, dies

B

factæ

factæ prolongationis litteris adscribenda est. Si enim extincta demum qualitate cambiali terminus solutionis prolongaretur, non cambii amplius, sed ordinarii debiti, in quod jam transit cambium, hæc esset prolongatio. Id quidem hoc casu prorogatio termini efficiet, ut creditor debitorem, antequam dies veniat, cum effectu convenire nequeat; qualitas vero et rigor cambialis non reviviscet, ne tunc quidem, si vel maxime hunc actum, prolongationem cambii vocassent contrahentes. Immo nec novæ hunc in finem datæ litteræ cambiales pristinum effectum cambialem restituere poterunt, sed non nisi plane novam obligationem cambialem producent.

Ex natura et indole prolongationis id quoque colligendum: IV.) *prolongationem vere talem, cambia tantum præscriptionem admittentia, recipere*; Inde, si quo in territorio cambia perpetuam obligationem producant; 1) si creditor litteras ante lapsum fatalis judicialiter producendo præscriptionem interruperit; 2) aut quæstio sit de cambiis a *Vista (nach Sicht)* nondum præsentatis; exulat profecto omnis prolongationis et renovationis ista intentione faciendæ necessitas.

1) quod de *Bononia* scribit FRANKIVS, l. c. *Lib. II. Sect. 4. Tit. 3. §. 1.*

2) KÜSTNER, l. c. §. 32.



§. IV.

Continuatio.

Ex eodem axioma de prolongationis fine recte inferitur: V) *nempe cambia ab initio rite data prolongari posse.* Neminem, nisi causarum cambialium plane ignarum fugit, plures dari personas, quæ sub rigore cambiali se obligare nequeunt, variisque subinde conceptionem litterarum cambialium circumscriptam esse formulis, adeo necessariis, ut hæc si desint schedæ, persecutio collybistica denegetur. Ita v. gr. plures ordinationes cambiales *Valuta*, 1) et *Cambii* (*des Worts: Wechsel*) mentionem expressam 2) adeo necessariam statuunt, ut ejus omissio cambium vitiet. Constat quoque cambia a minoribus, filiisfamilias, aliisque personis data nullius esse momenti. Ponamus jam prolongari, more solito, litteras uno vel altero horum defectuum laborantes. Minus accurate ex mea sententia id prolongationem vocares. Quibuscunque enim in casibus nulla hactenus nata erat obligatio cambialis, in iis non potest non exulare vere talis *continuatio* et *conservatio* rigoris cambialis. Quemcumque casum supponas, nunquam prioris obligationis *continuatio* suberit, sed vel plane nulla, vel nova obligatio collybistica contrahetur. Si v. gr. litteris, quibus *valuta* aut *vox cambii* in territorio, ubi per modum formæ requiruntur, deest, animo prolongandi consentiente creditore subnotaverit debitor receptam pro-

longationis formulam: Prolongirt auf = = &c. oder: Ver-
längert bis den = = &c. nullum plane effectum, si cam-
bii vim spectes, producet hæc prolongatio. Ratio est in
promptu, quia ille ipse defectus valutæ, vocis cambii, &c.
qui cambia ista ab initio nulla reddidit, actum quoque
prolongationis premit. Si vero prolongandi animo novas,
easque omni numero legitimas litteras dederit debitor,
valebunt istæ absque omni dubio, non ut prolongatæ,
sed ut novæ. Idem prorsus statuendum, si major vel sui
juris factus, litteras, quas minor adhuc vel filiusfamilias
dederat, prolongando approbaret. Renunciavit quidem
facto prolongationis exceptioni deficientis habilitatis per-
sonæ, quam alias opponere potuisset, et cambialiter jam
obligatur; sed, me judice, tantummodo ut ajunt, ex *nunc*,
non ex *tunc*.

- 1) Ordinationibus cambialibus, quæ Valutæ expressam mentionem
sub pœna nullitatis requirunt, quarum magnum numerum,
quem e charta in papyrum transcribere nolo, citavit SIEGEL.
l. c. pag. 26. FRANK. pag. 99. not. c. adde *Wirtembergicam*.
Cap. I. §. I. *Austriacam novissimam* de ao. 1763. art. 3. et 9.
in Corporis juris cambialis *continuat. tertia* VHLIANA pag. 3.
et 7. ELBLINGENSEM de Ao. 1758. Cap. I. §. I. *ibid.* pag. 69.
Polonicam novissimam, dd. 13 Apr. 1775. quæ *Warsovia* sub
titulo: *Berordnungen wegen des Wechselrechts, von den confö-*
derirten Ständen der auf dem Reichstag versamleten Republik
gemacht und in die Acten des Burggerichts zu Warschau einge-
tragen; in 8vo prodiit, §. I. et 5. pag. II.
- 2) vid. ZIPFEL. Tract. von Wechselbriefen. Sect. 7. p. 249.

§. V.




§. V.

Prolongatio scriptura regulariter fieri debet.

Id quoque pro certo habendum arbitror VI.) *Prolongationem cambii interveniente regulariter scriptura fieri debere.*

Quicquid Jurisconsulti de natura contractus cambialis, et ad quam conventionis speciem iste referendus sit disputent, 1) id tamen extra dubitationis aleam positum esse videtur, scripturam non ad naturalia, sed ad essentialia 2) cambii pertinere, et ex promissione ore tantum facta, cambialem executionem regulariter decerni non posse. Idem de prolongatione mihi dicendum videtur. De ea, quæ novis datis litteris cambialibus fit, res, me non mone[n]te, in aprico posita est. Vtrum vero omnis prolongatio interveniente scriptura fieri debeat, an non? ordinationes cambiales non definiunt, adeoque decisio ex jure communi petenda, et quacumque ratione de prolongatione convenienti creditores et debitores cambiales sufficere videtur. Sed repugnat, quæ juri communi hac in re præferenda est, juris cambialis analogia, et paratæ executionis indoles. In omni prolongatione vere tali debitor in se derivat rigorem cambialem. Aderat quidem jam antea cambialis obligatio, sed non tam diu duratura. Quemadmodum itaque ex simplici conventionione cambialis obligatio non oritur; ita nec prorogatio termini solutionis, simplici



plici promissione facta, rigorem cambialem regulariter conservabit. Eo fere modo, quo acceptatio ore tantum facta ex mente tantum non omnium ordinationum cambialium 3) effectu collybistico destituitur. Accedit, quæ primo loco nominanda fuisset, paratæ executionis, quæ anima quasi negotii cambialis est, indoles. Respuit hæc omnia, quæ moram executioni facere possunt, et nonnisi ea admittit, quæ probationem in continenti faciendam fundant. Jam si admittere velles prolongationem nuda promissione coram testibus factam; executio cambialis, antequam judici de veritate prolongationis constaret, decerni non posset, sed debitore exceptionem præscriptionis cambialis opponente, ad probandam factæ prolongationis replicam testes demum examinandi essent. Quod quum parata executio cambialis non ferat, 4) sed constans potius regula sit, neque exceptionem neque replicam, quæ altioris indaginis est, admitti; 5) consensum in prolongationem utrinque declaratum, non simpliciter sufficere, etsi testium, qui actui interfuerunt, examine probari queat, sed scripturam regulariter intercedere debere, persuasum habeo.

1) HEINECCIUS, in *elementis juris cambialis*. Cap. 3. §. 2--7. LEYSER. *Spec.* 133. med. 1. et 2. GEBHARD. CHRIST. BASTINELLER. *Diff. de jure creditoris litterarum cambii cum vel sine clausula hypothecæ in concursu*. §. 2. not. (i.)

2) HEINECCIUS *l. c.* §. 7. SIEGEL. *l. c.* p. 19. SELCHOVIUS V. C. *Grundsätze des Wechselrechts*. Sect. 2. §. 16. *Perillustr.* PÜTTERVS

RVS *Elementorum juris germanici privati* hod. §. 672. Quicquid pro tuenda contraria sententia disputaverit ERNEST. FRID. KNORRE, *de vera natura & indole contractus cambialis in cambio tractato*. Hal. 1752.

- 3) Excipe ordin. camb. Borussicam renovatam de ao. 1751. art. 49. quæ acceptationem ore tantum declaratam, legitime probatam admittit. vide SCHOTTIVM ad SIEGELIVM in *Compendio* p. 161. W. G. VANGEROVII Entwurf des Wechsel-Rechts nach den Grundsätzen der Preuß. Staaten. §. 137. Halle 1773.
- 4) SCHAVMBVRG, *Principia Praxeos, quæ modos procedendi in judicio, ab ordinario diversos sistunt* Cap. 3. §. 15. not. 4. *Ord. Camb. Wirtemb.* Cap. 6. in fine, ubi ita: „der Beweis „per testes aber bey diesem Wechsel-Proceß gänzlich unzulässig seyn.
- 5) SCHAVMBVRG, I. c. §. 15. DAN. NETTELBLADT, *Versuch einer Anleitung zu der ganzen praktischen Rechtsgelahrtheit*. §. 786. Halle 1775.

§. VI.

Exceptio hujus regulæ.

Nollem tamen, quatenus salva parata executione fieri potest, vim et effectum ei prolongationi denegare, cujus veritas, cum omnibus reliquis requisitis per confessionem debitoris, omni respectu habilis coram magistratu factam, vel instrumento notarii, suis numeris absoluto, in continenti, ut ajunt, probari potest. Non enim ea processus cambialis est natura, ut exceptiones, replicas, duplicasque non admittat; sed ea tantum, ut, quæ in

con-



continenti liquido probari nequeunt, non attendat, adeoque si replica, prolongati cambii sit altioris indaginis, reus a processu cambiali absolvatur, et causa in ordinarium processum rejiciatur, 1) in quo, detracta licet persecutione cambiali, effectu suo ordinario non destituetur. Quoties vero exceptiones, replicæ et duplicæ altioris indaginis non sunt, sed in continenti probari queunt, toties in disceptationibus cambialibus omnino admittuntur. 2)

1) SCHAUMBURG. I. C. HEINECCIVS Sect. 2. Cap. 7. §. 14.

2) *Ord. Camb. Wirt.* Cap. 6. §. 9. junct. §. 21.

§. VII.

Tractatur quæstio Specialis:

Quomodo prolongatio a feminis et rusticis in Wirtembergia fieri possit?

In Ducatu Wirtembergico feminæ, rustici et opifices cambialiter obligari nequeunt, nisi de effectibus rigoris cambialis satis edocti, hujusque certiorationis veritatem præfecti (*die Staabs-Beamte*) aut curatores sexus in ipsis litteris cambialibus propria manu testati fuerint. 1) Quæritur itaque, utrum litterarum, ab his personis rite datarum prolongatio, iisdem solemnitatibus adstricta sit? Ex generali quidem isto principio (§. II.) qui cambium contrahere impeditur, vel prohibetur, nec prolongare potest,

sim-

simpliciter affirmanda videtur quæstio. Mallem tamen, salva ista regula, casum novarum, loco priorum, datarum litterarum a prolongatione, quæ litteris rite datis a debitore subnotata est, distinguere. Hoc si fiat, explicationis et testimonii repetitione, me quidem iudice, opus non est. Utrumquæ enim jam continetur in litteris, quibus prolongationis subnotatio inest, et ratio legis, ne opifices, rustici et feminæ rigori cambiali, cujus onerosos effectus ignorant, se subijciant, manifesto cessat. Noli tamen exinde inferre, has personas de cambii sequelis semel edoctas, quodvis aliud cambium absque ulteriori certificationis solemnitate valide dare posse. Sola enim quantumvis plena rigoris cambialis notitia rem non absolvit, sed ut testimonio isto munitæ sint litteræ conjunctim per modum formæ requiritur, quo si destitutæ sint, cambialis persecutio non datur. Habes hic rationem, quamobrem, si alterutra harum personarum novas loco priorum dare velit litteras, formæ hujus in ordinatione cambiali præscriptæ repetitionem necessariam putem. Hanc enim si neglexerint, neque ex novo cambio, utpote forma testimonii istius destituto, neque ex prioribus litteris, novarum datione et acceptance plerumque sublatis aut præscriptione extinctis, cambialiter agi poterit.

1) *Ord. Camb. Wirt. Cap. 2. §. 6.* Ibi: Hingegen sind davon ausgeschlossen der Handelsteute Eheweiber, so nicht mit ihren Männern
C in

in einer öffentlich bekannter Handlung: Gesellschaft stehen; Ingleichen alle andere verheurathete oder ledige Weibspersonen. Wann aber eine dergleichen Weibsperson, einen Wechsel oder andere gleichgültige Verschreibung vor sich oder andere ausstellt, oder sich wenigstens mit unterschreibt, und deren obrigkeitlich verordneter Kriegsvogt, (wann derselbe andern selbst Wechsel anstellen darf) oder Staats-Beamte attestirer, daß der Ausstellerin 1) die denen Weibspersonen nach denen gemeinen Rechten zustehende Freyheiten erklärt worden seyen, und sie sich derselbigen begeben habe; wie auch, 2) daß ihre die Folgen eines Wechsels eröffnet worden seyen; So gilt alsdann ein solcher Wechselbrief nicht nur, sondern die Ausstellerin solle auch, wann sie sich auf eine dieser Ausflüchte berufen wollte, damit nicht gehört werden. et ibidem §. 5. pag. 9. — Handwerksleute, und andere gemeine Bürger und Bauern, seynd ordentlicher Weise nicht befugt Wechselbriefe oder denenselben gleich geachtete Verschreibungen auszustellen. Wann aber eine solche Person mit rohen oder verarbeiteten Landes-Producten einen merklichen Handel treibt, oder zu ihrem Handwerk, oder einen Güter-Kauff, oder aus einer andern sehr erheblichen Ursache einer Summe Gelds benöthiget, und nach Unseren Herzoglichen Landes-Gesetzen befugt ist, selbige aufzunehmen, oder Unsere gnädigste Einwilligung dazu erlangt hat, solle zwar auch ein solcher berechtiget seyn, einen Wechselbrief oder wechselfähige Verschreibung auszustellen, jedoch nicht andern, als wann dessen Staats-Beamter, (der ihm aber eher abzurathen, als zuzusprechen hat) unter solchem Wechsel oder Verschreibung eigenhändig bezeuget, daß dem Schuldner hintänglich erklärt worden seye, was ein Wechsel oder dem gleichgültige Verschreibung in Nicht-Zahlungsfall für beträchtliche Folgen habe. Conf. *Perillustr. GODFR. DAN. HOFFMANN* in *Diss. de officio & rustico cambiante.* §. 14. et 15.

§. VIII.

*De prolongationis effectibus;**Speciatim, utrum ea novatio fiat?*

Quæ hactenus de prolongationis subjecto, objecto et modo proposui, justo ordine excipit disquisitio, quis sit prolongationis effectus? Parem quidem quamlibet prolongationem legitime susceptam in eo animadvertimus, quod rigorem cambialem longius producat, consequenter præscriptionem litterarum differat, atque in aliud tempus rejiciat. Præfigitur scilicet hac prorogatione debitori novus solutionis faciendæ terminus, a cujus demum lapsu præscriptionis cambialis fatale currere incipit. 1) Utrum autem prolongatio omnis cum novatione conjuncta sit? non una Jurisconsultorum est sententia. 2) Quanti momenti sit hæc quæstio in processu concursus creditorum, quoties vel ex conventionali expressa hypotheca, vel ex taciti pignoris jure, quo subinde veluti in Ducatu Wirtembergico, et Brunsvicensi, 3) raro licet exemplo, creditores cambiales gaudent, ex temporis prioritate locatio facienda est, me non monente quilibet perspicit. Hinc non habes, cur disquisitionem hanc in foro juris communis, quo cambialia debita in classem simplicium creditorum referuntur, 4) plane inutilem statuas; si enim conventionali expressa hypotheca sibi prospexerit creditor cambialis, cambique hu-



jus prolongatio facta sit, temporis prærogativa a decisione
 hujus quæstionis non poterit non pendere. Quum vero
 inter cambia, quibus conventionalis expressa, vel ejus
 generis legalis seu tacita hypotheca inest, quæ creditori
 competiisset, etiamsi cambii forma obligationi principali
 non fuisset superaddita, et inter hypothecam tacitam cambiale
 (*Wechsel-Hypothek*) jure particulari introductam,
 atque ex cambio *qua tali* oriundam, magnum intercedat
 discrimen, id scilicet, quod istorum pignoris jus, utpote
 non cambiali, sed principali et ordinariæ obligationi co-
 hærens, præscriptione rigoris cambialis non extinguatur,
 sed ordinariis præscriptionis regulis regatur; hæc vero (*die*
Wechsel-Hypothek) cambium vere tale, et vim cambialem
 adhuc subsistentem supponat, adeoque non possit non ces-
 sare, si cambium vel ab initio non rite datum, aut lapsu
 temporis, præscriptioni cambiali præfinito tale esse desie-
 rit. Hæc, inquam, quum ita sint, ex generalibus pri-
 mum iisque utrique huic hypothecæ generi communibus
 principiis quæstio dijudicanda, et deinceps demum specia-
 tim dispiciendum erit, quæ sint prolongationis, si hypo-
 thecam tantum cambialem (*Wechsel-Hypothek*) spe-
 ctes, jura?

1) KÜSTNER. I. c. §. 41. W. G. VANGEROV. Ergänzungen und An-
 merkungen über den Entwurf des Wechsel-Rechts. Halle 1776. ad
 §. 105. p. 26.

2) RODE, *de cambiis, thes.* 7, et 15. LAVTERBACH, *de jure in cu-
 ria*

ria mercatorum usitato. th. 204. FRANK l. c. L. II. Sect. 4. Tit. 5. §. 3. et 5. BERGER *Elect. discept. forens.* Tit. 11. obl. 6. BARTH *hodeget. forens.* cap. 4. §. 3. ZIFFEL von Wechselbrie-
fen. Sect. 7. pag. 259. HEYDIGER Einleitung zum gründlichen
Verstand des Wechselrechts Cap. 8. p. 88. SCHOEPPF Decif. 296.
nr. 16. Decif. 335. nr. 3-5. LEYSER Spec. 526. med. 7. 9.

- 3) Vid. PRÆSES in Differt. de locazione cambii proprii in con-
curfu creditorum, Tub. 1767. p. 21. seq.
- 4) BASTINELLER Diff. de jure creditorum litter. camb. cum vel
sine clausula hypothece in concursu. §. 18. 19. HENR. BRO-
CKES, *Selectarum observat. forens.* Obl. 311. p. 331. ESTOR,
Diff. de conturbatione illustrium, §. 36.

§. IX.

Quod regulariter negatur.

Primarius prolongationis finis, quum is sit, ut rigor
cambialis omniaque ejus commoda conserventur; (§. II.
et III.) prono exinde alveo fluere arbitror, novationem
eadem regulariter non fieri, et hypothece jus, quo for-
tassis gaudent litteræ, qualecunque istud fuerit, ex *dati* 1)
non prolongati cambii temporis prærogativa judicandum
esse. Satis perspicua est Justiniani sanctio: 2) „Si quis,
inquit, „vel - - seu tempus addiderit vel detraxerit, - -
„nihil penitus prioris cautelæ innovari, sed anteriora sta-
„re, et posteriora incrementum illis accedere. „ Nec
opus est, ut hac in re ad generale istud axioma, nova-
tionem non præsumi, provocetur. 3)

C 3

No-

Novationem itaque I. non solum protestatio de non novando interposita, excludit omnem, sed II. ei quoque prolongationi, quæ frequentissima est, et annotatione factæ prolongationis termini litteris cambialibus inserta absolvi-
tur, ex mea sententia novatio non inest. 4) Immo nec III. cum ipsa novarum litterarum datione et acceptatione novationem conjunctam esse, persuasum habeo, si vel α) antiquæ simul retentæ, 5) vel β) redditæ quidem, laceratæ, deletæ &c. fuerint priores, sed in noviter datis et acceptis earum expressa mentio, quæ novationem non loquitur, sed priorem tenorem repetit, facta sit. 6) Non immorabor prolixiori horum axiomatum enodationi, cum indubitata novationis principia, quorum facilis ad hos casus applicatio est, ista satis superque confirmant.

- 1) Consentit *Consultiff.* DR. GMELIN, in der Ordnung der Gläubiger, Cap. 4. §. 25. p. 347. Edit. noviss.
- 2) in L. VIII. Cod. de novat. §. 3. I. quibus modis obligatio tollitur.
- 3) Hinc clausulam: *Absque novatione*, inter abundantes refert STRYK. D. de cautionibus abundantibus circa contractus, Cap. 2. nr. 71.
- 4) FRANK. I. c. L. 2. S. 4. T. 5. §. 5. BEKER, I. c. §. 23. HEINECCIUS Cap. 6. §. 34.
- 5) LEYSER. Spec. 526. med. 7. 8.
- 6) MEVIUS Parte V. Dec. 405.

S. X.

§. X.

Exceptiones istius regulae.

Salvis tamen hisce principiis, salvaque constitutionis istius Justinianæ auctoritate, et ad cambialia negotia applicatione, novatio, me iudice, tunc fiet, I. si creditor, qui conservandi rigoris cambialis causa novas litteras sibi dari curat, priorum solutionem, apocha vel data vel litteris subnotata, acceptam referat; specialiter enim verbisque expressis, uti in lege est, priorem obligationem remittit. Deinde II. tales cum prolongationis modo et actu subinde conjunctæ sunt facti circumstantiæ, quæ novationem non possunt non inducere. Quoties, ut paucis me expediam, *obligatio ex litteris cambialibus prioribus, cum prolongationis actu novisque datis et acceptis litteris consistere non potest; toties novationem intervenisse puto.* Assentior hac in re VOËTHI, CRELLII, NETTELBLADTII, 1) eorumque, qui hos secuti sunt, 2) doctrinæ, quam in tanto de sensu legis VIII. Cod. de Novat. et deleg. sententiarum divortio, et naturæ rei et menti Legislatoris præ reliquis convenire existimo. Quanquam enim cum iis non faciam, qui novo etiam jure, ex solis conjecturis novationem deducunt, eaque potius interpretatione verbis legis: „antiora stare, et posteriora incrementum illis accedere: nisi ipsi specialiter remiserint quidem



„dem priorem obligationem, et hoc exprefferint, quod
 „secundam magis pro anterioribus elegerint,“ vim fieri
 putem; id tamen nullo pacto a me impetrare possum,
 ut verba expressa ad novationem semper, et absolute
 necessaria statuam. Verum, quoties nova obligatio
 cum vetere sine contradictione consistere nequit, toties,
 etsi prima obligatio diserte non sublata, novaque con-
 stituta sit, novationem nihilominus fieri opinor. Malo rem
 CRELLII, quam meis verbis exprimere. Ita vero ille: 3)
 „Desideravit Imperator, ut nisi aliud expresse actum fue-
 rit, conjungatur nova obligatio cum anteriori, et prior
 illa accipiat ex posteriori incrementum: ut, puta, si an-
 tea hypothecam obligaveris pro debito, nunc etiam cam-
 bium dederis, non solum res tuæ jure pignoris, sed etiam
 caput tuum, et corpus jure arresti personalis tenebuntur,
 et jus utrumque, si creditori visum erit, conjungetur.
 Sed si non possit nova obligatio cum vetere conjungi,
 tentandum est, an citra expressa verba præsumatur ani-
 mus novandi. Et non dubito, quin illo casu etiam sine
 verbis facta esse novatio intelligatur. Enimvero Justinia-
 nus vult novam obligationem cum vetere conjungi, sed si
 non possit conjungi, non videtur impossibilia et absurda
 præcepisse, quod CELSVS monet. *l. 185. de R. l.* Tunc
 igitur necessario dimittenda est, alterutra illarum obliga-
 tionum, si illæ inter se pugnant, et sine contradictione
 utra-

utraque simul consistere non potest. Quodsi igitur alter-
 utra necessario dimittitur, nemini potest esse obscurum,
 quod prior potius, quam posterior dimissa esse videatur. -
 - Nunquam creduntur partes negotium supervacaneum
 inter se contraxisse, et expeditum est in negotiis, quæ
 utriusque voluntate continentur, illud, quod postea actum
 est, et cum priori consistere non potest, priori derogare:
 adeoque illud recipiendum esse, in quo partes postremo
 persisterunt. Ausim igitur affirmare, quod in ejusmodi
 speciebus Imperator voluerit admitti, et intelligi animum
 novandi: non, quod illi ajunt, quia hoc casu ex manife-
 stis indiciis duntaxat apparet animus novandi, sed quia
 posterior conjungi non potest cum priore, quod ut fiat,
 desiderat Justinianus. Hactenus igitur consentio viris cla-
 rissimis, a quibus antea discessi, ut credam ex indiciis cer-
 tis et manifestis probari animum novandi, si præterea no-
 va obligatio cum veteri consistere non potest.,

- 1) VOETIVS Tit. de novat. et deleg. §. 3. CRELL in observatio-
 nibus, de animo novandi factis expresso, ad leg. 8. Cod. de
 Novat. Witemb. 1737. §. 4. pag. 12. NETTELBLADT in nova
 introductione in Jurisprudentiam positivam, §. 660.
- 2) WERLHOF. de novat. et delegat. §. 22. LEYSER. Spec. 526.
 med. 10. STRVBEN Rechtliche Bedencken. Tom. IV. pag. 273.
- 3) CRELL. l. c. p. 12.

D

§. XI.



§. XI.

Adplicatio ad casus speciales.

Facilis jam erit, spero, horum principiorum ad prolongationem cambii adplicatio. Sponte scilicet exinde, nisi me omnia fallunt, id fluit, ei prolongationis speciei, quæ sit noviter datis et acceptis litteris tunc inesse novationem, *α*) si creditor, (*der Briefs-Inhaber*) liberam rerum suarum administrationem habens, novas, in quibus antiquæ repetitæ non sunt, nec prioris debiti mentio fit, acceperit litteras, easque deinceps, quas hæcenus possederat, consulto deleverit, cancellaverit, inciderit, combusserit, vel debitori simpliciter et in originali sub iis circumstantiis, quæ ad remissionem debiti, ex chirographi redditione deducendam, requiruntur 1) reddiderit. 2) Neutro enim horum casuum ex priore obligatione, utpote tacite remissa, cum effectu amplius agi poterit. Obligationem autem ex qua cum effectu agi nequit, quomodo cum nova conjunges? Quomodo quæso conciliabis cum consulto facta cautionis laceratione, aut combustione, aut deletione, novarum litterarum acceptatione juncta, animum conservandi et retinendi pristina jura, quæ in illis ipsis litteris combustis, deletis, laceratis continebantur? Ex iisdem principiis *β*) tunc quoque novationem intervenisse arbitror, si *Valuta* mutata,

NOVIS-

novisque conservandi rigoris cambialis gratia datis litteris, alia, quam quæ in prioribus continebatur, inserta fuerit causa debendi. Pone Valutam: *durch Waaren empfangen*, in noviter datis exprimi per Valutam: *baar empfangen*; fac priores litteras nec deletas, nec redditas esse, convenire autem creditorem et debitorem in eo, quod non nisi unum idemque debitum cambiale sublit. Equidem antiquiores litteras sublatas esse dicere non dubito. Nemo enim unam eandemque summam semel et simul ex-empto et mutuo debere potest. Naturam pretii venditionis pecunia debita hoc casu amisisse, et brevi manu traditione mutuum factum esse videtur. 3) Restringas tamen velim hæc ad Valutæ specialiter expressæ mutationem in aliam æque specialem. Si vero cambiorum unum sub generali formula: *Valuta von demselben, valuta empfangen, ver- gnügt*, valuta contento, &c. conceptum sit, alterum vero specialiter expresserit: *Valuta baar empfangen, in Waaren empfangen*, &c. ex hoc solo fundamento novationem deducere nollem. Hæc enim sibi non contradicunt, sed causa debendi generalis et indefinita, cum speciali et definita commode stare potest. Denique si γ) red- ditio et renovatio litterarum inter mercatores cum nova rationum subductione (*Ziehung eines neuen Saldo*) con- juncta sit, me etiam non monente quisque intelliget, tot



tantasque hac in specie concurrere rationes, ut novationem non possis non admittere.

- 1) LAVTERBACH. de tacito pacto remissorio ex redditione chirographi præsumto. th. 13. seqq.
- 2) Consentiunt: LAVTERBACH, FRANK, LEYSER, SCHOEFF, locis in §. 8. nr. 2. citatis.
- 3) arg. Leg. 15. ff. de R. C.

§. XII.

Prolongationis effectus, in concursu creditorum conspicui.

Quæ de effectibus prolongationis magis specialibus in ordine præcipue ad jus prælationis in concursu creditorum dicenda restant, ut paucis multa complectar, ad has regulas redeunt:

I. Quæcunque jura ex rigore cambiali descendunt, eumque subsistentem supponunt, eorum conservatio a prolongatione pendet.

II. Quæcunque vero jura creditori competiissent, etiam si obligatio cambiali schemate induta non fuisset, sed in terminis ordinarii vinculi substitisset, in eorum vel conservationem vel extinctionem prolongatio nullo modo influit.

Posterioris regulæ, cambiis propriis præcipue applicandæ, veritatem nemo facile in dubium vocabit, qui animo perpendere voluerit, cambiale vinculum non mutare principalem obligationem, ejusque qualitates, sed hanc subsistere, licet vel maxime vitio laboret negotium collybiticum, ejusve rigor temporis lapsu sublatus sit. I) Clare ex his principiis consequitur, ut cambium, cui conventionalis hypotheca inest, in concursu creditorum eodem jure

jure gaudeat, et inter hypothecarios conventionales æque collocetur, sive rigorem cambialem præscribi passus sit creditor, sive prolongatione eundem conservaverit. Idem de hypotheca vel personali exigendi jure, quo fortassis obligatio principalis quæ cambio inest, communi vel statuario jure gaudet, dicendum. Finge, ut exemplo mentem meam declarem, creditorem mutuam dedisse pecuniam ad aedes rescindendas, et chirographi loco accepisse litteras cambiales, ex quarum Valuta, v. gr. Valuta zu meinem Hausbau empfangen, qualitas crediti appareat; aut pone locatorem ædium, tabernæ, &c. a conductore, mercedis debitore, litteras cambiales, quibus Valuta ex. gr. in Hauszins, in Ladenzins, inest, accipere, &c. Unus idemque profecto locus creditori assignabitur in concursu, sive prolongatione cambialem effectum conservare studuerit, sive is lapsu temporis finitus sit. Nulla enim inter hanc juris ordinarii prærogativam, et qualitatem cambialem intercedit connexio. Gaudere ista potest ceteris paribus creditor, licet hæc obligationi nunquam accesserit, aut extincta sit. Nihil itaque est, quod hac in re prolongatio conservare possit. Alia plane, quod priorem regulam attinet, ratio est hypothecæ illius tacitæ (Wechsel-Hypothek) quam Brunsvicenses et Wirtembergicæ leges 2) debitis cambialibus concesserunt. Hæc enim est pars et sequela obligationis cambialis, ac cum ea stat et cadit. Quod quum ita sit, non potest non cum ista valor prolongationis indivulso nexu cohærere. Si itaque prolongaverit debitor ad contrahendam cambialem obligationem eo tempore inhabilis, (§. 2.) si prolongatio extincta jam qualitate cambiali, (§. 3.) aut ore tantum (§. 5. et 6.) facta fuerit, si litteræ prolongatæ ab initio rite conceptæ non sint; (§. 4.)



exulabit tacita ista cambialis hypotheca, quæ cambiale debitum vere tale, et rite contractum, rigoremque cambiale omnino subsistentem supponit. 3) Caveat itaque creditor, ne constitutum præscriptioni diem tempusque prætermittat. Caveat ne prolongationis remedium negligat, etiam si debitor inducias moratorias impetraverit. Quanquam enim, nisi moratoriis rescriptis quoad cambia omnem effectum detraxerit lex specialis, 4) durante induciarum tempore præscriptionem non currere, ex juris analogia statuendum esse putem: ob dissensum tamen Jurisconsultorum, cum alii cambium interea nihilominus producendum, actionemque instituendam esse moneant, 5) prolongationis consilium, tanquam tutius, merito eligendum est. Si quo enim in ullo, certe in hoc negotio jura vigilantibus scripta sunt.

- 1) Confer. Dn. PRÆSES, in Diss. de locatione cambii proprii in concursu creditorum. §. 3.
- 2) Vid. Declaratio authentica Brunsvicensis. dd. 25. Oct. 1723. apud VHLVM, Contin. prima, pag. 45. „Das allen Ordnungsmaßig contrahirten Wechsel-Schulden die hypotheca legalis tacita beywohnen solle.“ Eandem esse Ordin. Camb. Wirtembergicæ Cap. 7. §. 7. mentem, probavit Dn. PRÆSES in Diss. cit. p. 25. seqq.
- 3) Judicavit secundum hæc principia d. 14. Sept. 1767. supremum, quod Tubingæ floret, Appellationis tribunal, cujus sententiam Revisorium quoque Judicium d. 26. Mart. 1770. confirmavit.
- 4) Præter Daniæ leges, de quibus vid. Regis CHRISTIANI Vti leges Danicæ, quas e Danico in latinum convertebat PETRVS a HOEYELSINVS, Havniæ 1710. 4. L. V. Cap. 14. §. 25. ibi: moratorium diploma neminem a solutione collybi liberato; huc referenda Ord. Camb. Saxo-Gothana, de ao. 1732. §. 13. ibi: auch soll gegen einen Wechselbrief kein moratorium oder

Anz

Anstandsbrief seine sonst gewöhnliche Kraft oder Wirkung haben, apud SIEGEL. Tom. I. p. 190. Constitutio Electoralis Saxon. de ao. 1702. daß wider Wechselbriefe und Schuldcheine, so mit dem Leipziger Banco-Stempel bezeichnet, kein moratorium gelten solle. Ibid. p. 81. 82. Ord. Camb. Wirtemb. Cap. 7. §. 6. cujus verba: Hingegen solle auffer dem kein moratorium oder salvus conductus dem Beklagten etwas helfen, wann er nach Wechsels Recht belanget werden kann.

- 5) LAVTERBACH. de beneficio rescripti moratorii. th. 40. HEINECCIUS l. c. C. 6. §. 38. FRANK. l. c. L. II. Sect. 3. Cap. 5. §. 2 et 3. FREVDENBERG. de rescriptis moratoriis. concl. 58. BÜNSOV. de valore rescripti moratorii contra rem judicatam. §. 26.
- 6) Defendit hanc sententiam, eamque præjudicio Scabinorum Lipsiensium confirmavit KÜSTNERUS l. c. §. 51. ex hoc præcipue fundamento, cum aliud sit agere cum effectu, ad impetrandam solutionem, quod quidem obtentis induciis moratoriis fieri non potest, aliud instituere actionem ad interrumpendam præscriptionem.

§. XIII.

De heredum obligatione ex prolongatione.

Superest, ut, quæ sint jura prolongati cambii, si heredes debitoris spectemus, breviter exponatur. Redeunt ista, ni fallor, ad duo hæc capita: I. Quis sit prolongationis a defuncto factæ effectus intuitu heredum? II. Quis si ipse heres prolongaverit? Vtriusque quæstionis facilis et prompta est responsio. Ex cambio a defuncto legitime prolongato heredes, qui adierunt hereditatem, uno eodemque prorusus modo tenentur, quo secundum cujusque loci leges ex cambio defuncti intra legitimum tempus conveniri possunt. Responsionem hanc paulo generaliorem non mirabitur, quem diversa ista legum cambialium placita, de rigoris collybistici in heredes adplicatione non fugiunt. Aliæ enim

enim apprehensionem personæ, quæ contra defunctum obtinisset, in heredes quoque rigoris cambialis capaces decernunt; aliæ vero loco arresti personalis, quod contra heredes fieri vetant, executionem in bona tantum admittunt. 1) Qualis itaque obligationis cambialis quodam in territorio in heredes vis est et potestas, talis quoque, si cambium a defuncto adhuc rite prolongatum fuerit, obtinet. Hinc facile superfedere possum ulteriore disquisitione, quis speciatim jure Wirtembergico cambii a defuncto prolongati effectus sit? Generalis enim Ordinationis Wirtembergicæ sanctio, quod heres, qui adiit hereditatem cambialiter conveniri queat, 2) decisionem istius quæstionis suppeditat. Adita hereditate par est heredis et defuncti obligatio, ut cæteris paribus hypothecam quoque cambialem creditori in concursu super heredis bonis moto, concedendam esse putem, modo, quod semper positum sit, rigor cambialis in heredem cadere queat. Non magis difficilia sunt prolongationis jura, si heres ipse prolongaverit cambium. Heredem, uti acceptare 3) cambium in defunctum trassatum, ita prolongare quoque posse, nemo facile in dubium vocabit. Quod si rite fecerit, cambialis persecutio omniaque ejus consecutaria, iis quoque in territoriis, in quibus ordinarie contra heredes executio in bona tantum decernitur, pleno cum effectu adplicanda erunt. Pro herede gestionem ex prolongationis facto derivandam, et quæ sunt hujus generis alia, tacitus prætereo.

1) SIEGEL. l. c. p. 250. seqq.

2) Ord. Camb. Wirt. Cap. 7. §. 9. ibi: Erklären sie sich dann als Erben, so wird gegen sie ratione recognitionis et disseffionis und durchgehends nach Wechsel-Recht verfahren.

3) Cel. SCHOTT. in annot. ad Comp. SIEGEL. pag. 251.

ULB Halle

3


005 881 684



VD18







Pri. 22. num. 57.

23

DE
PROLONGATIONE CAMBII
EIVSQUE EFFECTIBVS

1777 6.

RECTORE EBERHARDINÆ CAROLINÆ
MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DVCE
AC DOMINO

P. 227.

DOMINO
C A R O L O

76

DVCE WIRTEMBERGÆ ET TECCIÆ REGNANTE
REL. REL.

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONSENSV
PRÆSIDE

SIXTO IACOBO KAPFF

IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO, S. CES. PALAT. COMITE

DIE MAII ANNI MDCCLXXVII.

PRO GRADV I. V. DOCTORIS

DISPVTABIT
AVCTOR

AVGVSTVS FRIDERICVS BANGER

STVTTGARDIANVS
CANCELLARIÆ DVCALIS ET SVPREMI DICASTERII ADVOCATVS.

TVBINGÆ STANNO FVESIANO.

